



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ph. Illvstri Regi Francorum.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Vide supra lib.  
1. epist. 130.

Cameraco Abbatum signato perpeximus contineri. Nos etiam, si bene recolimus, rescriptum conventionum ipsarum nobis ex parte regia presentatum inspeximus diligenter, & eas, sicut predecessor noster confirmaverat, auctoritate duximus apostolica confirmandas, tibi per scripta nostra mandantes ut ipsum Comitem ad observationem earum per excommunicationem personarum, & interdictum terrarum, compellere non tardares. Cumque tu postmodum juxta mandatum nostrum velles ipsum Comitem excommunicare, & terram ipsius interdicto supponere, ipse per nuncios suos afferens literas illas per suppressionem veritatis obtentas, quia in eis absolutionis factae mentio non fiebat, ab interlocutione tua nostram audientiam appellavit. Cum ergo rescriptum per suppressionem veritatis vel expressionem falsitatis obtentum vigorem habere non debeat firmitatis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si praemissis veritas suffragatur, infra viginti dies post susceptionem praesentium ipsum Comitem ab excommunicatione ac terram ejus ab interdicto sublato appellationis obstaculo absolvere non postponas; cariss. in Christo filio nostro Ph. illustri Francorum Regi ex parte nostra significans, ne id molestum accipiat, cum ex injuncto nobis servitutis officio sine personarum acceptione nulli debeamus justitiae debitum denegare. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & dilecto filio Aquicinctin. Abbati, literis nostris districtius injunxisse, ut cum eis legitime constiterit de praemissis, ipsum Comitem ab excommunicatione & terram ejus ab interdicto nullius contradictione vel appellatione obstante denuntient penitus absolutos. Datum Laterani VI. Kal. Maij.

Epist. 41.

*Scriptum est super hoc Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & Aquicinctin. Abbati, ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum absolutos. Nullis literis, harum mentione non habita &c. Quòd si ambo &c. tu, frater Ambianensis, cum eorum altero &c.*



PH. ILLUSTRIS REGI  
Francorum.

**C**VM ex injuncto nobis &c. ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum absolutos. Rogamus igitur magnificentiam regiam & exhortamur in Domino quatenus te non moveant aliquatenus vel perturbent quae secundum Deum & justitiam super ipso duximus negotio statuenda: quia licet te, tanquam carissimum nostrum & specialem Ecclesiae filium & Christianissimum principem amplexemur arctius in visceribus caritatis, & tuis, quantum cum Domino possumus, velimus intendere profectibus & augmentis, in nostri tamen executione officij apparere nolumus concedente Domino negligentes, cum illius vicem in terris gerere dignoscamur qui judicat populos in aequitate, & cuique vult suam justitiam conservari. Datum ut supra.

VV. REMEN. SANCTAE SABINAE  
Cardinali & Senonen. Archiepiscopis,  
Antisiodoren. & Nivernen. Episcopis.

**S**ignificante nobis dilecto filio nobili viro B. Flandren. Comite ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd cum inter patrem ipsius Comitis & dilectum filium nobilem virum Comitem Nivernen. super matrimonii contrahendis taliter fuerit interposito juramento statutum, quòd ipse pater Comitis filiam suam I. nomine eidem Comiti Nivernen. traderet in uxorem, & ipse filiam suam, cum ad annos nubilem perveniret, Philippo praefati Comitis Flandriae fratri, vel Henrico fratri ejus, si fortè praemorereur Philippus, matrimonialiter copularet, & ad complementum ipsius contractus cariss. in Christo filius noster illustris Rex Franciae ex conditu unanimi deberet utrumque compellere, necnon vos illum per excommunicationem personarum & interdictum terrarum cogere qui à pacto matrimonij resiliret, sicut in literis ejusdem Regis & vestris, fratres Episcopi, dicitur manifestius contineri; idem Nivernen. Comes quod tam solenniter factum est adimplere negligit & recusat, licet ei sit ab altera parte super contractu matrimonij plenarie satisfactum. Cum igitur, tanquam vir nobilis & discretus, illam famam debeat suam sui nominis conservare,

Epist. 42.  
Super eodem.

Epist. 41.  
Quòd cogit  
Comitem Flandriae ad observationem juramenti praestitum.